



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

106. De Paedagogo Qvodam Antiocheno, qui cùm Libanus Sophista  
illudens Christo, interrogaret tempore belli, quod Iulianus gessit aduersus  
Christianos, quid agere tum putaret fabri filium (ita ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Aris sacrificat taurum quia saepe Tyrannus,  
Insculpsit nummis taurica signa suis.*

*Hinc vulgi talis de tauro fabula coepit:*

*Taurus hic euertit quicquid in orbe boni est.*

106. DE PAEDAGOGO QVODAM Antiocheno, qui cum Libanus Sophista illudens Christo, interrogaret tempore belli, quod Iulianus gessit aduersus Christianos, quid agere tum putaret fabri filium (ita appellans filium Dei contumeliae causa) respondet, Iuliani mortem praedicens: O Sophista, creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, loculum Iuliano concinnat. Et post paucos dies interfectus Iulianus in loculo positus, Antiochiam aduectus est.

*Christicolas contra cum gessit Apostata bellum,  
Edidit interitus hac rata signa Deus:  
Libanus illudens pubis cum forte magistro,  
Diceret hac doctus verba Sophista, pio:  
Gnatus dic fabri celso quid Christus Olympo  
Nunc agit, hic vesler, dic mihi quaeso, Deus?  
Aedificat vestro loculum hic, ait ille, Tyranno,  
Qui faber est summus cunctipotensque Deus.*

*Hab*

*Hæc pius admonitu Domini sic verba magister  
 Reddidit, euentu vera probata suo.  
 Nam loculo impositus paulò post ipse tyrannus  
 Turpiter incerto vulnere læsus adest.*

107. DE BLASPHEMA CONFES-  
 sione Iuliani in morte se victū esse à Chri-  
 sto. Iulianus iaculo in latus percussus,  
 mox manum suam sanguine suo comple-  
 uit, & in aërem proiecit dicens, *νενίκη-  
 κας γαλιλαίε*, hoc est, vicisti Gali-  
 læ, & in eo ipso confessus est  
 cum blasphemia victo-  
 riam. Cap. 47.

*In Parthos Cæsar cūm saeuus Apostata bellum  
 Funestum gereret, vulnere atroce cadit.  
 Pugnantī sanctus miles transuerberat epar,  
 Et cadit infesta bestia læsa manu.  
 Sanguinis expirans calidam de vulnere massam  
 Excipit, ac illam seuis ad astra iacit.  
 Et dum multa furens fremebundo pectore voluit,  
 Exanimis tales fundit ab ore sonos:  
 Vicisti Galilæe meos, Galilæe, furores,  
 Tu meus æterno tempore victor eris.  
 Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras  
 Illius infernas, & sine fine gemit.*

H